



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **OSTRAVIENSIS-OPAVIENSIS*** QUIBUS DAM
AB ARCHIDIOECESI OLOMUCENSI DSTRACTIS TERRITORIIS

NOVA CONSTITUITUR DIOCESIS OSTRAVIENSIS-OPAVIENSIS APPELLANDA Ad Christifidelium spirituali bono
tutius consulendum, Venerabilis Frater Ioannes Graubner, sacrorum Antistes archidioecesis Olomucensis, ratione habita
de catholicorum fidelium numero operibusque religiosis auctis, ab hac Apostolica Sede petivit ut, quodam distracto
territorio eiusdem archidioecesis, nova exinde erigeretur ecclesiastica circumscrip^{tio}. Nos vero existimantes id in
animatorum bonum esse cessurum, favente quoque eidem rei Venerabili Fratre Ioanne Coppa, Archiepiscopo titolo
Sertensi et in Republica Cecha Apostolico Nuntio, de consilio Secretariae Status, admotae postulationi libenter
concedendum esse censuimus. Summa igitur Nostra potestate, ab archidioecesi Olomucensi separamus decanatus:
Bílovec, Bruntál, Frýdek, Hlučín, Jeseník, Karviná, Krnov, Mistek, Nový Jičín, Opava, Ostrava, atque ex ita distractis
territoriis novam dioecesim *Ostraviensem-Opavensem* appellandam iisdem circumscriptam finibus quibus praefati
decanatus simul sumpti in praesens terminantur, constituimus et erigimus. Huius novae dioecesis sedem in urbe Ostrava
statuimus templumque paroeciale ibi extans, Deo in honorem Divini Salvatoris dicatum, ad gradum et dignitatem
Ecclesiae Cathedralis evehimus, eique insignia, privilegia et honores tribuimus quibus ceterae in orbe catholico
Cathedrales Ecclesiae fruuntur. Atque templum Deo in honorem Beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae in urbe
Opava extans dicatum, titulo ac fastigio Ecclesiae Concathedralis decoramus, cum omnibus iuribus, honoribus et
privilegiis nec non oneribus et obligationibus quae huiusmodi Ecclesiis sunt propria. Ostraviensi-Opaviensi pro tempore
Episcopo honores, insignia, privilegia iuraque tribuimus, eundemque iisdem oneribus et officiis adstringimus quibus ceteri
Praesules Ordinarii locorum gaudent et adstringuntur. Novam erectam dioecesim suffraganeam constituimus Ecclesiae
Metropolitanae Olomucensis eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Olomucensis subicimus. Mandamus
insuper ut quam primum ibi Collegium Consultorum ad normam iuris communis constituatur qui Episcopo, in eius
Ecclesiae regimine, consilio et opera valido sint auxilio. Congruae quidem ac dignae sustentationi Praesulis novae
dioecesis provideatur Curiae emolumentis, fidelium oblationibus ac portione bonorum, quae eidem obvenire debent ex
eorum divisione ad normam canonis 122 Codicis Iuris Canonici facienda quaeque hactenus ad Mensam episcopalem
Olomucensem pertinuerunt. Quod attinet ad Seminarii dioecesani aedificationem atque sacrorum candidatorum
institutionem serventur praescripta iuris communis, ratione habita normarum et regularum a Congregatione de
Institutione Catholica statutarum; suoque tempore selecti Seminarii alumni, philosophicis et theologicis disciplinis
imbuendi, nec non sacerdotes ad studia complenda Romam, si fas est, mittantur. Quod vero attinet ad novae dioecesis
regimen, administrationem bonorum, Administratoris dioecesani « sede vacante » electionem, fidelium iura et onera
aliaque id genus, quae sacri canones praescribunt, ad amussim serventur. Simul ac Ostraviensis-Opaviensis dioecesis

erectio ad effectum deducta fuerit, eo ipso sacerdotes Ecclesiae illi adscripti censeantur in cuius territorio ecclesiasticum detinent officium; ceteri vero sacerdotes seminariique tirones Ecclesiae illi incardinati maneant vel incardinentur in cuius territorio legitimum habent domicilium. Acta et documenta quae erectam dioecesim eiusque clericos, fideles et forte bona temporalia respiciunt, a Curia Olomucensi ad Curiam Ostraviensem-Opaviensem rite transmittantur. Haec, quae statuimus, perficienda committimus Venerabili Fratri Ioanni Coppa, quem diximus, necessarias et oportunas eidem tribuentes facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime efficientibus.*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die tricesimo mensis Maii, anno Domini millesimo nonagesimo sexto, Pontificatus Nostri duodevicesimo.*

ANGELUS card. SODANO <i>Secretarius Status</i>	BERNARDINUS card. GANTIN <i>Congr. pro Episcopis Praef.</i>
---------------------------------------------------	----------------------------------------------------------------

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

BERNARDINUS card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXVIII (1996), n. 11, pp. 834-836 © Copyright 1996 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana